Pro Quodlibetaria Quaestio Medica disputanda In Scholis Medicorum die Iovis 13ª Novembris,

Praeside Literatissimo Viro Domino Symone Pietre Doct. Medico.

An Antecedentis Coctionis vitium, sequens emendet?

Natura Corporis humani fluorem perpetuum, alimento partim simili, partim dissimili resarciens, id in ore non leviter affectum primum in ventriculo in Chylum mutat: à quo nutritur ventriculus: qui deinde per venas mesaraicas (à quibus rudem sanguinis speciem accipit) in hepar transfusus in sanguinem convertitur, ac tandem per venas in singulas partes distribuitur, adiuvantibus facultatibus attractrice, retentrice & expultrice.

Concoctio Igitur in nobis triplex, officinis, ordine, humoribus, & excrementis distincta, hyeme & vere, suaviore cibo, insuaviore etiam deteriore paulo, perfectior evadit. Cuius causa est partium, in quibus fit, natura, caloris potissimum, & reliquarum qualitatum [illegible] ministerio: quibus summis remanentibus temperaturae ratio, non autem substantiae tribui debet.

Ventriculi actionem, quae Chylosis est, integram reddunt facultatum Coctioni servientium robur, in triplici substantiae quantitate & qualitate positum, instrumentorum integritas, Cibi & potus ordine, tempestiveque, ingestorum moderata quantitas, & qualitas, debitum somni tempus, ventris excrementis cavens. Eam vitiant causae contrariae, à quibus diarrhoeae, dysenteriae, lienteriae, vomitus, sitis vehemens, ructus nidorosus, putris, foetidus.

Hepar venarum principium, Concupiscentiae sedes, ac primum in Corporis conformatione viscus eminens, ex Chylo probe in ventriculo elaborato, humores quatuor certam inter se analogiam habentes, eodem Calore simul gignit. Ex eodem vero crudo aut corrupto sanguinem provenit vitiosum: praesertim si insignis aliqua intemperies partium ex quibus constat immoderatior, aut solutio accesserit: inde Hepatis inflammatio, febres putridae, hydrops.

Singulae Corporis partes sanguinem ab Hepate confectum, omnibusque excrementis, praeterque pituita, expurgatum, suo Calore ac substantiae similitudine familiarem sibi attrahunt: cuius in substantiam nostram mutationem sequitur Cutis color floridus, pulsus magnus, & vehemens, actionum praestantia, & moventis facultatis robur: si vero sanguinis vitium accesserit Cacochymiam inducunt. Hinc tumores, Corporis atrophia, maligna ulcera, impetigines, & febres intermittentes.



Antecedentis Igitur Coctionis vitium, sequens non emendat.

Asserebat Nicolaus Cormeillius Bellouacus. 1550.